

und thut, also auch sie gläubten und thäten. At verò, si lex naturæ datur & agnosci potest, utut existentia DEi negetur, respectu societatis humanæ, id quod tamen Dn. WOLFIUS *Polit. §. 368.* negatum voluit, perinde foret, sive quis DEum statuatur, sive neget. Cum enim quilibet tamdiu præsumitur bonus, quamdiu seipsum non probaverit malum, uti nunc benè de aliis speramus, quoniam eos DEum timentes opinamur: ita tunc alii aliis confisuri forent sub persuasione, eos à naturâ præscriptæ legis observantes esse, conscientiamque suam revereri, modo se hæctenus non demonstraverint imprudentes. Interim unusquisque, si modò commoda sese occasio obtulerit, ut prudentis honestique viri exiltimationem haud facilè sit amissurus, id acturus esset, ad quod ipsum sua cupiditas atque libido impelleret, posthabito prætensæ istius legis Naturæ dictamine. Si namque homines DEum, eumque Legislatorem, agnoscentes, remoto judicis vindicisque metu, suis tamen concupiscentiis indulgent, quid non facturi essent, qui nullum post hanc vitam judicem dari & malorum vindicem sunt persuasi, vel saltem ipsi sibi cupiunt persuadere?

### §. VIII.

Quid verò? Numne dantur actiones in se suaque naturâ, & etiam, ut loqui solent, antecederent ad voluntatem DEi turpes & honestæ, quarum istas sana ratio vitare, has exercere jubet, etiam citra respectum ad legem superioris vel prohibentem vel præcipientem? Nimis equidem durum nobis videtur Dn. D. LANGII *l. c. §. 25.* judicium, pronunciantis, Scholasticos nonnullos hanc hypothesein à Philosophis atheis seu deistis, antiquioribus illis, quam imprudentissimè adoptasse: siquidem hæc culpa in eos etiam redundaret, qui hodiernum magno numero, sive Philosophi sive Theologi, internam necessariamque quarundam actionum moralitatem agnoscunt atque propugnant. Interim tamen non favet isthæc hypothesis Atheismo, quin ab-

F

usus